

1. Dav: Vogel Diff. an creatio Mundi ex lumine natura demonstrari queat. 1704.
2. Chr: Maserovij Diff. ex Gen: I. vi. 1723.
3. Joach: Hildebrandi Diff. de creatione universi 1657.
4. Berth: Derschow Diff. de immortalitate primi hominis. 1629
5. Christ: Maserovij Diff. de voluntate Adam 1710
6. Joh: Hurelmanni Diff. de lapsu primorum parentum. 1637.
7. Mart: Corrch Diff. II, de fluvij paradisiacis. 1706.
8. Aug: Pfeifferi, Diff. de homicidio Lamechi. 1671.
9. Christ: Neubaur Diff. de signo quod Deus Caini posuit. 1672.
10. Joh. phil. Pfeifferi Diff. de homicidio Lamechi. 1670

- 11 Mich. Schreiber *diff. proponens Lunata Historia
antediluviana.* 1703.
12. Dan. Høynoy *diff. de Structura turris Babilon.*
13. Dav. Bierfreund *diff. ^{nice.} utrum rufus Chus fuerit
monstrum.* 1687.
14. Willh. Lyseri *diff. de vera Religione.* 1635.
15. Christoph. Cellarij *diff. de exidio sodom.* 1695.
16. Joh. phil. Pfeifferi *diff. de statua salis uxoris
Lothi.* 1670.
17. Heert. Godofr. Masij *diff. de uxore Lothi.* 1720.
18. Godofr. Wein *diff. de divinatione Josephi per
Scyphum.* 1685.
19. Joh. Willh. Bayer, *diff. ad Exod. X. 10.* 1697.
20. frid. von Scheven *diff. in Exod. VI. v. 3.* 1721.
21. Joh. Bernh. Hahn *diff. ex Num: XI. v. 31. 32.*
22. Godofr. Wegneri *diff. de cibatione C. virorum.* 1703.
23. Christ. Korthold, *diff. de virga Aaroni.* 1625.
24. G. frid. Rogal *diff. de thuribulo ex antiquitate
judaica restituto.* 1724.
25. Christi. Goeza *diff. de unctione sacerdotij summi.*
1689.
26. Ern. Christi. Boldsch *diff. de pontifice maximo Chreoz.*
27. Dan. Weimar *diff. de unctione sacra Chreozum.*
1677.
28. Gabri. Reuschely *diff. miscellanea philolog.*
1680.
29. theod. Renald. Saly *diff. de sacerdote castro Chri.*
1723.
30. Joh. Henr. Haener *diff. de ritu benedictionis sacerdot.*
1671.
31. Joh. Jac. Quant, *diff. de coramibus Altaris.* 1714.
32. Joh. Behm, *diff. de lotionibus in obsecrandis sacerdot.*
1715.

- 33 Bernh. von Sanden diff. de duobus Hieris. ¹⁶⁹⁹ *Lev. XVI.*
- 34 Mich. Hognovij oratio de modo peccatoe ¹⁶⁹⁹ *Hebraic.*
- 35 Joh. Christoph. Rostendorfer diff. de junij ¹⁶⁹⁹ *Stracorum.*
- 36 Jac. Welleri diff. II de ritibus lugentium ¹⁶⁹¹ *Est. LXXIII.*
- 37 Gabr. Groddeck. diff. de ceremonia palmarum ¹⁶⁹⁹ *Judeor.*
- 38 Joh. Jac. Quandt diff. de cultis circumcisiois ¹⁶⁹⁹ *Chreosum.*
- 39 Joh. Bernh. Rein diff. ritus triplicem ¹⁷¹³ *Evangelicam*
a deo judicandum. 1723
- 40 Heur. opitij diff. de satellitjs ¹⁶⁷² *Davidis et Salomonis.*
- 41 Godofr. Wegneri commentatio de navigationibus ¹⁶⁸⁹ *salomonis.*
- 42 Christ. Palmij diff. de regressu solis tempore ¹⁶⁹⁶ *Histor.*
- 43 Laur. Wezeri diff. ex Ezech. VIII v. 17. 1710
- 44 Christoph. Grube examen vocis ¹⁷⁵⁵ *771 Hof. XI.*
- 45 Joh. Engebrecht diff. II de pisce jond. 1702.
- 46 Abr. Wolffij diff. de dicto Haggai II. v. 8. 6. 1723
- 47 ejusdem, de Lihu amico jobi optimo
- 48 Laur. Wezeri diff. de orulatione manus idolatri ¹⁶⁹⁶
- 49 Jac. Rheusfordij specimen animadversionum in ¹⁶⁸⁸ *viver et isos.*
- 50 ejusdem Archiryagus otio. sur. 1687.
- 51 ejusdem, epistola de origine vocis ¹⁶⁸⁸ *Atta.*
- 52 Bernh. v. Sanden diff. de live in republica Hebr. ¹⁶⁸⁹
- 53 Joh. Jac. Quandt diff. de atramento Hebr. ¹⁷¹³
- 54 Joh. Heur. Haener diff. ritus observationes ¹⁶⁷⁴ *philologicis criticis.*
- 55 ejusdem, diff. problematum philologicorum. ¹⁶⁷³
- 56 +35 Schreiber de sensu ¹⁷¹¹ *Exodi XX. v. 5.*

מחנה

DISPUTATIO PHILOLOGICA
DE



Numero, XI. 31, 32.

Novæ Sententiæ JOBI LUDOLFI ejusque Aſſeclarum
modeste oppoſita,

Quam.

ANNUENTE DIVINA GRATIA,
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
AUGUSTO atq; SERENISSIMO PRINCIPE ac DOMINO,
DOMINO FRIDERICO
WILHELMO,

REGNI PRUSSIÆ ET ELECTORATUS BRAN-
DENBURGICI HÆREDE, &c. &c. &c.
IN ACADEMIA PATRIA,
CONSENTIENTE AMPLISSIMA FACULTATE PHILOSOPHICA,
SUB PRÆSIDIO

DN. JOH. BERNHARDI HAHN,
Phil. & Lib. Artium Magistri,

habebit

RESPONDENS AUTOR
ALBERTUS COLUMBUS,
Phil. & Theol. Stud. Lyc. Boruff.



VIRIS

DE LITERATURA OPTIME MERITIS AC CONSPICUIS,
*SUMME REVERENDIS, PRÆNOBILISSIMIS, AM-
PLISSIMIS, EXCELLENTISSIMIS atq; CONSULTISSIMIS,*

DN. BERNHARDO von SANDEN,
S. S. Theol. D. & Prof. Prim. Sac. Reg. Maj. Concionatori Au-
lico Prim. facundissimo, ac Consistorii Sambienfis Consiliario
gravissimo,

Hospiti & Evergetæ studiorum suorum Parentis loco colendissimo,

**DN. JOHANNI FRIDERICO
von SANDEN,**

J. U. D. & Prof. Publ. dignissimo, nec non Judicii Aulici Con-
siliario summè merito.

Mæcenati suo honoratissimo.

DN. JOHANNI ERNESTO SEGERS,
S. Theol. D. & Prof. Publ. ut & Græcæ Literaturæ Ordinario,
p. t. Theologicæ Facultatis spectabili Decano,
Societ. Regiæ Berolinens. insigni membro,

Hospiti idem ac Præceptoris omni honoris amorisve cultu excipiendæ.


DN. HENRICO von SANDEN,
Med. Doct. & Prof. Publ. nec non Physices Ordin. Celeberr.

Promptori studiorum suorum in Physicis & Anatomicis venerando.


DN. JOHANNI GEORGIO Welschhofer /
S. R. M. in Prussia Intimorum Consiliorum ut & Judicii Aulici
Secretario longè meritissimo.

Patrono omni veneratione prosequendo.

Hanc tenuem de Locustis dissertationem in devincti
animi contestationem & sui studiorumq; suo-
rum ulteriorem commendationem, cum omni
prosperitatis voto ac animo sincerò, omnem hy-
pocrisin, volatu fictitiò locustarum adumbratam,
nesciente, humilic: calamo conf.



§. I.



Aria alimentorum genera, quibus Divina Clementia homines singulari modo sustentare voluerit, in Sacris Pandectis commemorari, haud obscurum poterit esse illis, qui in iis evolvendis sedulam navarunt operam: utrumque sane Testamentum peculiares & singulares prorsus sustentandi modos nobis uberrime pandit, quibus recensendis pauxillæ hæc lineolæ vix sufficerent. Quis unquam oblivioni consecraverit admirandam, quinimo stupendam Eliæ sustentationem? Omnis spes vitæ jam absorpta & annihilata, esse videbatur: & ecce! urgente necessitate vel ipsorum corvorum, voracissimæ aliàs avis, ministeriò DEUS conservat servum suum. I. Reg. XVII. v. 6. Quid dicam de summa & non satis deprædicanda CHRISTI Salvatoris mellitissimi providentia ac munificentia, quam conspicuam reddidit, quatuor millia hominum septem panibus & pisciculis paucis satiando? Marc. VIII. Missis his atque aliis unicè tantum considerabimus modum verè miraculosum, quò DEUS usus est in sustentatione populi Israëlitici, dando eis שלים; im-

A

pri-

primis quid per istud vocabulum indigitetur & significetur? Ut autem inceptus hic labor vergat imprimis in Divini Nominis gloriam, ædificationem proximi, & studiorum nostrorum promotionem, est, quod à DEo altissimo, Patre omnis luminis, à quo omne bonum & donum perfectum oritur, supplices precamur.

§. II.

Ad incitas ferè redactus videbatur populus Israëliticus, orbatus copia piscium, quibus in Ægypto gratis vescebatur, destitutus abundantia cucumerum & peponum, porrorum, ceparum & alliorum: Verum enim vero Divina Omnipotentia, quò ostenderet, DEum non esse adstrictum ad communes alendi regulas, alias sapidiore & pretiosiores ipsis apposuit dapes: nam non tantum Manna, cujus sapor fuit tanquam sapor humoris ex oleo præstantissimi, inopiam summovere potuit; sed etiam per שלים omnem querelam de carentiâ carnis exortam, sustulit, de quibus Spiritus Sanctus jam hunc in modum loquitur Num. XI. v. 31. 32. וְיָזַח נֶסֶע

מֵאֶרֶץ יִזְוֶה וַיָּגֵן שְׁלִימִים מִן־רִיבִים וַיִּשֶׁשׂ עַל־הַמַּחְנֶה כַּרְדָּף יוֹם כֹּה וּכְכַרְדָּף יוֹם כֹּה סְכִיבֹרַת הַמַּחְנֶה וּכְאֲמֵתָם עַל־פְּנֵי הָאָרֶץ: וְגַם הָעַם כֹּל־הַיּוֹם הַהוּא וְכֹל־הַלַּיְלָה וְכֹל־יוֹם הַמִּדְבָּר וְנֶאֱסָפוּ אֶת־הַשְּׁלֹוֹ הַמַּמְעִיט אֶסְף עֲשׂוֹתָה חֲמָרִים וַיִּשְׁמָחוּ לָהֶם שְׂמוֹחַ סְכִיבֹת הַמַּחְנֶה:

Tar-

Targum Jonathan. fil. Uziel.

ורוחא דעלעולא נפקת ונטלת בדוגא מן קדש יי ובעת
 למשטפיה לעומא אילולי וכותא דמשה ואהרן וכתב בימא
 רבא ואפרח שלוי מן ימא רבא ושרא ער דין דועיר
 במשריתא כמחלך יומא לציפונא וכמהלך יומא לדרומא וכרום
 תרתן אמון הוה פרח על אנפי ארעא והוה מהלכין כהון ער
 פרתהון מטול דלא ילעון בזמן מכנשהון יתהון! וקמו מחסרי
 היסנותא די בעמא כל יומא ההוא וכל ליליא וכל יומא דפתרוי
 וכנשו ית שלוי דקטיע ורחגיר כנש עשרת: כרוויין ושחוו להון
 משטיחן חזרנות משריתא:

LXX.

Καὶ πνεῦμα ἐξῆλθε ἐκ κυρίου, καὶ ἤξεπέρασεν ὀρνιθομίτραν
 ἀπὸ τῆς θαλάσσης, καὶ ἐπέβαλεν ἐπὶ τῆς παρεμβολῆς, ὅδον ἡμέρας
 ἐν πῦθιν, καὶ ὅδον ἡμέρας ἐν πῦθιν κύκλω τῆς παρεμβολῆς ὡσεὶ δί-
 πτυχον ἀπὸ τῆς γῆς. Καὶ ἀναστὰς ὁ λαὸς ἔλην τὴν ἡμέραν ἐκείνην, καὶ ὅλην
 τὴν νύκτα, καὶ ὅλην τὴν ἡμέραν τῆς παύσεως, καὶ συνέλεγον τὴν ὀρνιθομί-
 τραν, ὃ τὸ ὀλίγον συνήγαγε δέκα κόρους, καὶ ἐψύξαν ἑαυτοῖς ψυγμοῖς κύ-
 κλω τῆς παρεμβολῆς.

Vulgata anno 1486. edita.

*Ventus autem egrediens à Domino abreptas trans mare cotur-
 nices detulit & demisit in castra, itinere quantum uno die confici
 potuerunt, ex omni parte castrorum per circuitum, volabantq̄,
 in aëre duobus cubitis altitudine super terram. Surgens ergo Po-
 pulus toto die illo, & nocte, ac die altero congregavit coturnicum
 multitudinem, qui parum decem coros: & siccaverunt eas per
 gryrum castrorum.*

A 2

Se-

Sebast. Schmidii versio.

Ventus profectus est à --- cum Jehovah, & abripuit coturnices à mari, demisitq^{ue} super castra, instar itineris diei hinc & instar itineris diei illinc circa castra, & instar duarum ulnarum super faciebus terra. Surrexit itaq^{ue} Populus tota die ista, itemque tota nocte, totog^{ue} die crastino, ac collegerunt coturnicem, qui minimum, collegit decem Chomeros, quas expanderunt sibi expandendo circa castra.

Versio B. Lutheri.

Da fuhr aus der Wind von dem HErrn / und ließ Wachteln kommen vom Meer / und streuete sie über das Lager / hie eine Tagreise lang / da etne Tagreise lang / umb das Lager her / zwo Ellen hoch über der Erden. Da machte sich das Volck auf denselben ganzen Tag / und die ganze Nacht / und den andern ganzen Tag / und sammlete Wachteln; und welcher am wenigsten sammlete / der sammlete zehen Homor / und hengen sie auf / umb das Lager her.

Versio Polonica,

Zatym wyszedł wiatr od Pana / y porwany był Przepiórki od Morza / zpuscił je na Oboz zjedney strony / jako jeden dzień chodu / z drugiey strony takze jako na jeden dzień chodu okolo Obozu / a jakoby dwa łokcie były nad ziemią; Tedy wstawy Lud przez cały on dzień y przez całą noc / y nazajutrz przez wszystkie dzień zbierali one przepiórki: a kto namniej nazbierał / miał dziesięć Homerow; y nawieszali ich wśedy sobie okolo Obozu.

S. III.

§. III.

Non multum hic desudabimus in explicandis hujus appositi textus Ebraei verbis, quoniam vel per se sunt perspicua, vel etiam occasio dabitur ex accidenti inferius ea attingendi ac explicandi; hinc solummodo solliciti hic erimus, quomodo vertenda sit vox שליים, an scilicet per *aves proprie sic dictas*, & in specie *cornices*, an per *locustas*? Posterioris sententiae primus, quantum nobis constat, autor fuit Illustris *Jobus Ludolfus*, S. Cæs. Majest. & Ser. Duc. Saxoniae Consiliarius, Vir suo tempore propter varia literariam in Republic. præstita merita inter cohortem Apollinis haud postremo loco collocandus: hic suam hanc sententiam de Locustis primum proposuit in Comment. ad Histor. Æthiopic. num. XCVI. p. 168. & seqq. deinceps verò ex professò eandem stabilire atq; defendere annisus est in peculiari proluxa Dissert. in fol. edit. de Locustis, quam *Appendicem secund. ad Hist. Æthiopic.* vocat. Speciosa hæc, ac à nemine ab anno 1694. in hunc usque diem (quantum scio) refutata sententia, (quod vel maximè mirari subit) suos quoque habuit felices progressus, variosque nata est assertores; siquidem erudita Ludolfi vestigia anxie pressit *D. Joh. Henr. Majus*, Theol. Profess. & Superintend. Giessensis, Vir propter speciosa specimina haud obscuri nominis, utpote qui hanc sententiam arripuit in *Oeconomia Temporum V. T.* pag. 586. ita scribens: *Mox DEUS, ut promiserat, carnem dedit, & vehementi vento ab occidente spirante ingentem locustarum copiam adduxit &c.* Neq; hinc abludere videtur celeberrimus *Paullini* in part. 3. seiner *erbaulichen Lust* Themat. CXX. p. m. 775. ubi inter alia hæc verba habet: **Alle Umstände geben zu erkennen/ daß es keine Wachteln/ sondern Heuschrecken gewesen sind.** Quinimò Clarissimus *Joh. Paul. Hebenstreit*

olim Profess. Politic. Ordinar. Jenensis, nunc Theol. D. & Superintend. Dornburgensis prope Jenam, hanc assertionem in Disputat. de Locustis immenso agmine aërem Jenensem implentibus habita Jen. 1693. propugnavit & quidem cap. IV. §. 3. p. 46. & seqq. ubi Ludolfi sententia recensetur, & argumentis ex illius scripto antea à nobis citato corroboratur. Quid diutius commorabor in recensendis exteris hujus sententiæ propugnaculis? in Academia nostra jam hanc assertivam nupere in se defendendam suscepit Vir quidam eruditus. Ultimo loco notandus est *Johannes Henricus Reitzius*, qui in Notis ad Thom. Godwini Mosen & Aaronem Lib. 6. cap. 9. p. m. 602. videtur in castra Ludolfi transire. Tandem agmeu claudit Autor *der Monathlichen Unterredungen* de Anno 1689. Mens. Jun. qui citato loco introducit hanc sententiam in Epistolâ quâdam, quæ perhibetur ab ipso Ludolfo ad autorem transmissa p. 775.

§. IV.

Tot & plures forte dantur pereruditi hujus sententiæ Propugnatores, contra quos aliquid tentare in initio pro opere pleno audacia ac temeritate reputavi, utpote cum tantum aliquid commercii adhucdum cum Musis habui, & pocula Apollinis quasi libavi: attamen postea hæsitantem ademit animum haud præpostera spes certo sibi polliciens, hosce conspicuos Viros, (quos non adeo ob dignitatem & locum, quem aliqui ad hæc usque tempora inter Procere Reipubl. Literariæ summa cum laude tenent, quam ob profundam eorum eruditionem, virtutem & Boni Publici studium, eâ quâ par est circa eorum sententiam dubia mihi occurrerunt, aut pro communi ac olim recepta sententia dici posse videntur, libere

7
rè proponam atque ulteriori eorum considerationi submit-
tam, hæc tamen sincerâ additâ contestatione, mihi nunquam
in animum venisse, aliquem huius sententiæ Propugnatorem
vellædere vel famigeratissimam ejus proscindere famam, sed
potius sincerè promitto omnem palinodiam, si eversio meo-
rum argumentorum illam postula verit.

§. V.

His itaque ritè præmissis ipsam rem admodum arduam
aggredior, & quidem in initio ostendendo argumenta eorum,
qui *proprie sic dictas aves*, speciatim *coturnices* per כורניס
intelligunt. Legi atquè relegi non solum textum sacrum, ubi
de hoc problemate agitur, qui quæ à me est appositus, itemque
Versiones & varios Commentarios: sed etiam conferre stu-
diui inter se ea, quæ Viri duo Summi *Bochartus* & huius sen-
tentiæ novæ Autor scil. *Ludolfus* de hoc argumento prolixè
in utramque partem scripserunt; imò perpendi etiam ratio-
nes, quas Clarissimus *Ludolfus* contra suam sententiam at-
tulit ex eusdam Viri Celeberrimi (prout opinor *Domini D.*
Samuel Andreæ, in Academia Marpurgensi Profess. conspicui,
ex Disputat. Dn. *Hebenstreitii* antea à nobis cit. cap. II. §. 4.)
Disquisitione huius novæ sententiæ in appendice secund. ad
Hist. Æthiopic. part II. ubi etiam respondet ad eus dubia,
quò sic ex rationum collatione pateret, utrum satis graves ra-
tiones essent discedendi à recepta sententia? Quod ubi à me
factum, solò certè verum indagandi & sacras literas illustran-
di studio, visus mihi sum cernere non satis causæ esse dese-
rendi vulgarem & veterem opinionem, neque si vel hæc dese-
renda foret, novam tamen illam de Locustis posse mihi
ceui potiore probari. Id autem ostendere dum conor omnia
Lædoris euscunq; & ipsorum Illustrum Virorum à nobis
an-

antèa recitatorum, qui adhuc ferè omnes in vivis sunt, iudicio submitto.

§. VI.

Itaque (1) videtur mihi probari posse sententiam de proprie dictis avibus, in specie de coturnicibus *ex συναφεία textus*. Nam si totum caput, in quo *עוף שלמים* fit mentio vel fugitivo à quopiam percurratur oculo, non dicam penitiùs inspiciatur, elucefcet admodum veritas hujus sententiæ. In antecedentibus habetur, quâ ratione Plebs Israëlita *בשר* non analogum quid, sed propriè sic dictam carnem petierit, vel potius sibi à Mose aut undecunque dari non sine fletu desideraverit Num. XI. v. 4. *בשר* carnem proprie sic dictam promittit etiam DEus v. 18. De nulla aliâ, quàm de propriè dicta carne promissionem hanc intellexit Moses, hinc v. 22. ovium & taurorum maçtandorum (nempe ad carnem adipiscendam) mentionem injicit; Denique phrasîs ista v. 33. *בשר בין שניהם* caro intra dentes eorum, nihil nisi veram carnem innuit. Neque est quod hic excipit Vir Clarissimus Ludolfus dicendo: Petiisse Israelitas carnem à DEo vel potiùs à Mose in allegatis versibus *אשר לא יתן* non exstare vers. 4. Concupiscentia quidem & desiderium vagum refertur his verbis: *O si quis daret nobis comedere carnem* &c. sed nulla petitio, quæ neque vers. 10. neque 18. reperitur. Jam ulterius pergit: *Differentia hic tenenda inter desiderium & concupiscentiam, & petitionem: Desideramus sæpè & optamus etiam præterita & factu impossibilia, ut si quis dicat: O mihi præteritos Jupiter si referat annos, cum quilibet sciat, præteritos annos referri sibi non posse. Vel quod Augustinus sibi optasse dicitur: Videre Paulum in ore, Romam in flore, Christum in carne* &c. Ut hic breves simus in responsione, non multum disquiremus,

an

an desiderium & petitio inter se differant? cum id ambabus largiamur manibus; sed illud solummodò urgemus, quod David hocce desiderium Israëlitarum exprimat per vocem **לֹא** Psalm. CV. v. 40. quæ vox significationem habet *rogandi, petendi, i em mendicandi*. Confer. *Buxtorff*. Lexic. p. 760. Quæ verba ita exponit *Raschi* in Comment. ad h. l. **לֹא** **ישראל** **בשר** **ויבא** **הקבה** **שליום** *Petit Israël carnem, & dedit eis Sanctus Benedictus coturnices.* Deinde non postponendum etiam est illud, quod hic tam constanter **בשר** *caro proprie sic dicta* habetur, hanc verò carnem, si quis diceret *Israëlitas* accepisse vel per desiderium, vel per preces, vel per murmurationem, nobis & nostræ sententiæ nihil derogat, sufficit, quod *Israëlita* acceperint **בשר** *carnem proprie dictam*; atquè hinc etiam nos contradicentes hac in re non habebit *Illustris Ludolfus*, dicens: *Israëlitas manifesto in contemptum Divinæ Majestatis suò injustò desiderio tendisse, urgentes solum proprietatem vocis בשר.* Insuper & illud etiam annotare libet, aliud desiderium scil. fuisse (si desiderium nuncupandum) Populi *Israelitici*, alia etiam esse desideria allata à *Viro Illustri*: Siquidem desideria hæc agunt de rebus sim. liciter impossibilibus, desiderantur enim diu præterita: illud desiderium verò non agnovit aliquid impossibile, utpote cum impossibile non fuerit reperiri carnem in deserto vel in confinio castrorum *Israelitarum*, prout eventus & aliunde advenientes **שליום** id probe docuerunt. Sed audiamus, quid ad hæc iterum excipiant contradicentes: dicunt nempe, exinde nondum sequi carnem *Israelitis* datam esse, quoniam concupiverant carnem, & *DEus* etiam carnem promiserat: nam quemadmodum panem petatum & promissum non qualem intelligebant, sed qualem *DEus* volebat, acceperunt: ita etiam putant carnem non genuinam, sed analogum carnis illis largitum esse.

esse. Verum ad id respondemus (1) negando, quod Israe-
 litæ non acceperint desideratum & promissum panem; quip-
 pè Mannæ omnia attribuuntur panis attributa à Mose hunc in
 modum loquente Num. XI. v. 8. שמו העם ולקטו וטחנו
 ברחים או רכו במדכרו ובשלו בפרור ועשו אתו עגור:
 Hic audimus Israelitas Mannam non tantum collegisse ac mo-
 luisse in molis, vel conterisse in mortario, sed etiam coxiss-
 se in cacabo, & fecisse subcineritias placentas, quæ certè (spe-
 cies sunt panis verissimi: imò Psaltes expressè nominat Man-
 nam panem, dicens: לחם אבירים אכל איש *Panem*, non
 analogicum quid panis, *comedit quisq.* Psalm. LXXVIII. v. 25.
 Deinde (2) posito at non concessò, datum fuisse Israelitis non
 panem proprie sic dictum neque ab iis desideratum, tamen
 exinde nondum corrui sententia nostra, utpote cum hic ex-
 presse legamus, DEum desiderationi Populi Israelitici satis-
 fecisse dando eis בשר *carne*, quæ caro adhuc erat inter den-
 tes eorum furore Domini incensò, proptereà quoque Psaltes
 repetens hanc historiam iterum dicit vers. 27. וימטר עליהם
 שאר *carne* Equidem hic non habetur vox כעפר שאר
 attamen quoniam hæc vocabula unum idemque fere sunt,
 prout id ex *Targum Jonathan* elucescit, qui nempe pro hebr.
 שאר expresse habet vocem בסרא *carne*; & aliò in locò
 vox שאר significat *carne* ossibus adherentem, nempe Mich.
 III. v. 2. His insuper suffragatur Clariss. *Joh. Drusius*, dicens:
 שאר aliquando idem quod בשר *caro* est, Ps. LXXVIII. *pluit super*
eos sicut pulverem, carne i. e. coturnices. Comment. ad loc.
 diffic. Pentat. p. 300. Sicque nihil impedit, quò non possit
 hocce dicto corroborari sententia nostra, verissimam scilicet
 carne, non verò *αιαλογμῶς* talem datam esse Israelitis.
 Stante autem hac hypothesi firmissimâ liquidò ac spontè fuit,
 hic locustas intelligi non posse, utpote quæ nunquam hoc

nomine veniunt in Sacris Literis, neque propriè venire possunt; siquidem vel ipsi contrarium sentientes denegant locustis propriè sic dictam carnem. Equidem provocat Illustr. Ludolfus citat. loc. p. 62. Resp. ad Cap. 78. Disquis. ad locum Genes. VII. v. 15. ubi dicitur: *וַיִּכְרֹם אֱשֶׁר כָּל רוּחַ חַיִּים מִכָּל הַכֶּשֶׂר אֲשֶׁר-כָּל בְּשָׂר* de omni carne, in qua est spiritus vitalis, masculus & fœmina *בְּשָׂר מִכָּל* de omni carne introierunt. Neminem hic putat dubitaturum esse, sub hac carne spiritu prædita & sub utroque sexu comprehendi quoque insecta volatilia, crabrones, vespertiones, nominatim locustas. At quis hîc non videt, in hoc loco vocabulum *בְּשָׂר* in generalissima appositum esse significatione, sic ut denotet animal quodcumque, in quo est spiritus vitalis, propterea quoque statim additur cit. loc. *אֲשֶׁר כָּל רוּחַ חַיִּים* in quâ spiritus vitalis: sed non omnis spiritus vitalis est caro, aliâs & pulex, pediculus, cimex, in quibus est spiritus vitalis, carnem quoq; propriè sic dictam haberent, de quibus eâdem mihi licet subsumere ratione, quâ ratione adversarii in dict. loc. de Locustis subsumunt; imò dicere etiam possumus in loc. cit. à potiori desumptam esse denominationem, quia plurima & præstantissima animalia, quæ arcam ingrediebantur, carnem veram habebant. Hinc Autor citat. contrarium potius de locustis statuere tenetur, dicens: *Liceat hic mihi respondere Plinii verbis, sic Lib. XI. Hist. Natural. cap. 3. sonantibus: Sangvinem non esse his fateor, verum simile quiddam. Ut sepia in mari sanguinis vicem atramentum obtinet, sic & insectis quisquis est vitalis humor, hic erit & sanguis. Eodem modo, ulterius pergit, fateor, verum simile quiddam, substantia illa molli, qualis est in Ostreis, & comestibilis in corpusculis locustarum hic carnis vicem obtinet.* Quibus verbis simul Illustris Ludolfus indigitat, ex opinione Vulgi, qui substantiam mollem in locustis

stis deprehensam carnem appellare solet, locutum esse Schelhamerum Bibliothecarium Hamburgensem in MSC. cujus verba Ludolfus sic sonantia in Commentar ad Histor. Æthiopic. p. 80. allegat: *In Guinea fliegen die Heuschrecken mit dicken Schwarimen/wie eine dicke Wolcke / und verfinstern die Luft: Sie werden getödtet/ und an der Sonnen gedörret/ und von ihnen gefressen/ sie sollen wol schmecken/haben Fleisch so weiß als Krebs.* Ad testimonium denique Rabbinorum in Tractat. הנדרר מן הבשר יהא אסור בבשר רגים והנבים sive de Votis sic loquentium: *Qui votum abstinenti à carne fecerit, ille quoq; obligatus erit abstinere à carne piscium & locustarū* quod Autor p. 63. allegat, ut probet sub carnem esculentam referri debere locustas, respondemus, istud non probare id quod debebat; si enim Rabbinii locustis veram carnem tribuerent, jam comprehenderent illas sub voce בשר, dum verò piscium & locustarum carnem à carne reliquorum animalium distinguunt, simul indicant, eam non esse talem, qualis est reliquorum: Si itaque ex hōc testimonio aliquid sequitur, hoc tantum est, Locustas habere analogum quid carnis, quod etiam Ludolfus sæpè fallus est. Sed & hoc notamus, ipsam hanc analogiam carnis, quam Ludolfus præ tendit, ex ipsiusmet verbis admodum posse infringi. De locustis enim dixerat Appendic. II. ad Histor. Æthiopic. p. 51. & 54. quod *siccata potuerint in pollinem & pulverem redigi:* ubi hic analogum quid carnis reperitur? hæc certè vel maximè siccata manet caro. Israelitæ sane non pollinem vel pulverem desiderabant, sed carnem veram, si vero locustas accepissent, utique in siccatis locustis pollinem & pulverem loco carnis accepissent, qualis permutatio delicatulis his vix arrisisset. Deniq; si etiam evinci posset, quod tamen non potest, locustas proprie sic di-

dictam carnem habere, tamen nondum sequitur, per ¹³ שריון
h. l. intelligendas locustas esse: hac ratione enim de omni-
bus animalibus verâ carne præditis subsumere unicuique li-
ceret, nobisque de coturnicibus licet, imprimis quoniam
plane videtur superfluum vocem שריון locustis velle tribue-
re, quod insectum variis aliis nominibus in S. Scriptura ex-
primitur, quorum unum adhibuisset procul dubio Spir. S.
si locustæ hoc loco indicandæ fuissent. Ultimum quod ad-
huc circa hunc §. notamus, est dubium, quod petunt adver-
sarii ad destruendam nostram hypothefin ex Sapient. c. XIX.
v. II 12. & cap. XVI. v. 2. ubi dicuntur שריון *nova generatio*
itemque iis *novus sapor* tribuitur. Dubium autem istud re-
solvî potest verbis *Osiandri*, utpote qui sibi in Comment ad
h. l. eandem format objectionem, ad eandemque feliciter se-
quentibus respondet (1) *Locum quod attinet Sap. XIX autori*
ejus libri fidem nostram non adstrinximus, (2) *Græcum exem-*
plar non habet κτῶν sed γένων νέων ἐγένων, novam autem intel-
lige non in se (utpote cum vera caro fuit prout jam constat) sed
Israëlitis, qui nihil tale experti erant: quale est quod idem Autor
huic cibo tribuit ξένον γένων, novum saporem, Sapient. XVI. v. 2.
illò vescens insuetum & inexpertum: Adde ratione modi
delatarum Coturnicum; Insuper & si vel maximè novus qui-
dam cibus, antea Israëlitis non cognitus hic intelligatur, non
tamen videmus, quare non aliud volatile ipsis ignotum in-
telligi possit potiùs, quàm locustæ. Ex his jam sole meri-
diano clarius patescit, meliorem sententiam esse eorum, qui
per שריון intelligunt propriè sic dictas aves, in specie cotur-
nices, utpote quibus vel cæcus, qui tactu & gustu modò pol-
let, propriè sic dictam nequit denegare carnem, proinde &
Plinius coturnicem inter aves, quas habere carnem, nemo in-
ficiatur, numerat Lib. X. Hist. Animal. c. XXII.

(II.) Probamus porro nostram sententiam ex *εμφαν* vocis *לו*. Clarissimus Ludolfus quidem existimat, vocem *לו* ex earum numero esse, quarum vera significatio in captivitate Babylonica periit, ita ut à Judæis in Patriam conversis amplius non intellecta fuerit. Verum aliud quid Dominus *Caspar Neumannus*, Philologus celeberrimus, in *Genesi Lingvæ S. Vet. Test. p. m. 99. & 100.* ostendere videtur, ubi ex causis specie probabilitatis non planè carentibus ostendit, quare una vox *לו* componatur ex *ל* & *ו*. Nam, dicit, *לו* est nota aperiendi vel circum quaque obtegendi: qui character licet familia ejus interciderit ferè omnis, restat tamen aliquis ejus in Hebræorum *למה* quod vestem vulgo vertunt, reatius operimentum, amicum, sive omne id, quò corpus involvitur atque obtegitur. Et iterum paucis interjectis dicit: *ו* ex *ו* Dativi nota & Vav copulativo, quasi compositus character *conjunctionis & adhesionis* nota est, quando se unum alteri quocunque modo annectit, adjungit, & adhæret, unde *וה* *adjunxit se, adhesit*, & metaphorico *mutuo sumpsit* sive mutuando se obligavit: *Wenn der Schuldener mit seinem Debet wo hängt oder haßt.* Item *לו* nomen proprium filii *Leæ*, quod mater expositura dicit: *Jam adhærebit*, vel ut habet *Aquila* apud *Hieronymum*, applicabitur mihi vir meus, *Gen. XXIX 34.* His ita præmissis erunt jam *לו* vi Etymi animalia *operiendo adhesionia*, vel *adherendo operientia*, hoc est ea, quæ ubi sunt, operiunt, obruunt & tegumentum instar contegunt omnia; quæ præterea rebus illis, quos operiunt, vel simul etiam sibi invicem arctè cohærent, applicando & connectendo se, idque omne, modò quodam tam notabili & singulari, ut nomen inde haberi mereantur. Ne somnia hæc tibi esse videantur, *Mosen* ipsum Etymologiam

giam hanc non obscure insinuantem allegabo. Hic enim eo ipso in loco, ubi Selavarum prima fit mentio, nempe Exod. XVI. v. 13. nomini לרש operiendi actum immediatè jungit, verbo ferè synonymo dicens: *Ascendit לרש & operuit castra*, quo certè prædicato subjecti Etymon à me datum appositè confirmatur. Hæc illè. Ex quibus jam tale quis posset formare argumentum. Quodcunque vocabulum commodè & sine ullo ferè labore quoad significationem erui potest, quodque suam debet originem ipsæ lingvæ Hebraicæ, illud recenseri non potest inter illa vocabula, quorum significatio Babylonica in captivitate fuit deperdita, neque dicendum, à Judæis in Patriam reversis illud non intellectum fuisse. Atqui verum est prius de vocabulo לרש , ergò & postèrius. Duo membra consequentiæ majoris propositionis facillè probari possent. Nam primum membrum exinde probaretur, quoniam scilicet illud vocabulum non potest dici deperditum, cujus significatio adhuc erui potest. Prout Thesaurus non potest dici deperditus, qui ad tempus mihi non innotuit, dummodò in occulto ac certo latitat loco: sic quoque minus congruè istud vocabulum dicitur deperditum, cujus significatio huic vel illi ad tempus non innotuit. Secundum membrum etiam sine ullo labore stabilire quis posset hunc in modum: si vocabulum istud hodierno innotuit tempore, multò magis illud Judæis utpote gnaris sanctissimæ lingvæ, innotuit, quod autem non tam solliciti fuerint illam significationem communicare posteritati, illud factum exinde, quoniam nulla de hæc significatione movebatur controversia. Interim non omnia ex laudato Neumanno adducta facimus nostra, præcipue cum videamus, totam hujus viri tractationem, quæ loc. cit. satis proluxa est, eò tendere, ut sententiæ Ludolfianæ de Locustis patrocinetur, atque hinc non
cri-

erimus tam rigorosi in examine sententiæ Ludolfianæ, sed vel ambabus largimur manibus, illud vocabulum fuisse de sorte deperditorum, propterea tamen non multum roboris obtinebit sententiæ hæc, nostræque parum decedet. Admittamus enim, radicem vocis של in lingvâ Ebræâ hodie in usu non esse, (unde etiam Celeberr. *D. Henricus Opitius* in Lexic. Hebræo Chaldæo-Bibl. p. 1015. huic voci radicem inusitatam שלה præmisit, quæ forte cum usitato radice סלה *prostravit*, convenire possit, permutatis inter se ש & ס literis unius organi) est tamen in cognata lingvâ usitatissima, scil. in lingvâ Arabicâ, ubi reperimus radicem *ش*

tranquillò contentòg, animò fuit, quæ significatio non malè nostrarum שלו nature competere posset: Sœpissimè enim Lingvæ Ebrææ tanquam mater à reliquis Orientalibus ut filia-bus ea jure repetit, quæ olim ipsi concesserat, ceu hoc, imprimis quoad lingvæ Arabicam, omnium Lingvæ Hebrææ filiarum constantissimam significationum conservatricem, magno exemplorum numero comprobavit *Dn. Joh. Abrah. Kromayerus* in peculiari Tractatu de usu Lingvæ Arabicæ, cui propterea hanc dedit inscriptionem כתיב מילרר לנא *Filia Matri obstetricans*. Penes hunc modû eruendi significationem potest vox hæc quoque indagari à posteriori, nimirum ex descriptione rei propositæ, ejusque natura, ex sensu atq; totius historiæ contextu, sicut id à Viris doctis in verâ vocabulorum *Leviathan & Behemoth* expositione factum cernimus. Jam si hæ regulæ applicentur ad præsens negotium, certò apparebit plus convenire historiam istam avibus propriè talibus, in specie coturnicibus, quàm locustis, prout illud ex inferius dicendis elucescet. Illud tantùm hic annotare conducet, quod Hebræi ac Lexicographi in eo ad unum ferè omnes

omnes convenient, quod *שלו* sit *עוף מין* species avis, non infecti, ut *Kimchius* in libro Radicum ait. Sic Talmudista, qui quatuor species coturnicum recensent, nempe: *שיכרי קיכרי* *פיריני שלו* quarum postrema omnium optima, prima vilissima esse perhibetur *Soma* fol. 75. 2. cit. *Buxtorffio* in Lexico Chaldaeo-Talmud. Rabbin. p.m. 1767.: Sic quoque omnes Lexicographi, veluti *Buxtorffius* in Lexico Hebraico-Chald. sub voce *שלו*, *Schindlerus*, *Avenarius*, *Münsterus*, *Pagninus*, *Opitius* &c.; & quod vel maximè notandum, intelligendo avem pingvissimam per coturnicem, reddunt, ratio etiam in promptu est, quoniam scil. *coturnices pingvissima perhibentur esse aves*, testante Philosopho Lib. VIII. cap. XII. *Histor. Animal.* *Ευδίας δὲ ἔ πεπνυται ἄλλο τὸ βάρος, πολὺ γὰρ τὸ σῶμα, διὸ καὶ βοῶντες πέπνυται* &c. *Ægrè autem propter sui corporis pondus volanti: sunt enim corpore grandiore quam suis pennis deferri possint, vociferantesq; ob eam rem volant.* Imò in lingua Arabica reperimus nomen coturnicibus propter pingvedinem inditum. Sic apud *Meidanium* in *Onomastic. Arabico-Perf.* & *Demirium* in *Histor. Animal.* recensetur, coturnicis

quædam species, quæ Arabicè vocatur *عنباقبي*

à rad. *عنباقبي* pingvis & obesus fuit, teste *Jacob. Galio* in Lexic. Arabico p. 1217. Hæc iterum ob oculos sibi ponant contradicentes; quàm ægrè quæso hanc circumstantiam applicabunt locustis, utpote quibus ne quidem propriè sic dicta caro, multo minus pingvedo, ipsis fatentibus, adscribi potest.

§ VIII.

Quoniam omne trinum perfectum, (III.) hinc argu-
C
men-

mentum & ultimum, illudq; infigne pro nostra sententia corroboranda præbent Versiones tam Orientales, quàm Occidentales. Interpretes item tam Judæi quàm Christiani. Versiones enim, si perlustres, mirum in omnibus deprehendes consensum. Orientales quidem v.g. Chaldaica, Syriaca, Samaritana & Arabica, vocem ܐܘܡ strictè retinent, idque ideò, quia hæc vox in omnibus his lingvis *Avem* & in specie *Coturnicem* indicat. Ne autem hoc cuidam absurdum videatur, de sola Arabica versione pauca adjicere lubet; Arabs nempe in sua versione habet vocem مَسَلُون, quæ vox etiam

apud Scriptores Arabicos tanquam nomen collectivum, & unitatis unam ex collectivò significans, de coturnicibus usurpatur, ceu in hanc rem *Geuharis* citatus est à Golio Lexic. Arabic. p. 1208. ubi etiam *Camus* vel *Camusus* adducitur, qui de

unâ tantum coturnice dicit مَسَلُوا (De *Geuhare* &

Camuso videri potest *Pocockii* Specimen Histor. Arabic.) Imò in ipso Alcorano vocem hanc reperimus, quando impostor Mohammedes suos ita alloquitur:

اَنْزَلْنَا عَلَيْكُمُ الْمَنَّاءَ وَالسَّلْوٰى

Cap. II. de Vacca vers. 56. hoc est: *Demissimus vobis Manna ac Coturnices*, prout vocem ultimam Arabicam expresse per *Coturnices* transtulit Vir, ut Arabicæ, ita universæ Orientalis Literaturæ peritissimus ejusdemque propagator felicissimus, Excell. Dn *Joh. Andr. Danzius*, S. Theol. D. hujusque ut & Lingvar. Oriental. Profess. Jenens. celeberr. in specimine suo

Ak

Alcorani, quod typis Arabicis nitidissimis, Versione insuper Latina accuratissima instructum, pridem erudito orbi donavit p. 10. Itaq; de Arabicâ Versione constare putamus, eam coturnices per לו Ebr. intellexisse, quod etiam de aliis nominatis versionibus dicendum est. Hæ enim omnes sententiæ de Locustis neminum præsidium afferunt: nulla sanè ex memoratis Lingvis vocabulo destituitur, Locustas exprimente, imò Lingva Arabica pro sua ubertate septem locustarum significationes ad minimum numerat, quæ tamen omnes cum Ebr. לו nullam prorsus habent cognationem. Ex his igitur unum vocabulum adhibuissent Autores Versionum harum, si per לו locustas voluissent intellectas: dicere verò, omnes genuinam vocis לו significationem ignorasse, temerarium valde videtur. Reliquas Versiones Occidentales & vernaculas quod attinet, rursus eæ omnes unanimi consensu *Coturnices* loquuntur. De Græcâ, Latinâ, nostraque Germanicâ B. Lutheri non est dubium. Sic Anglicana, locum nostrum exprimit: *And there went forth a Winde from the LORD, and brought quails from the Sea &c.* & iterum vers. 32. *And The people gathered the quails &c.* alibi quoque quoties vox לו in Ebr. occurrit, nempe Exod. XVI. 13. & Pl. CV. v. 40. eandem per suum Quail coturnicem significans reddidit. Similiter Gallica Versio mentem suam de voce לו patefecit per vocem *Caille* Coturnicem indicantem. His addi meretur etiam Polonica, quæ itidem vocem לו reddendo *Przeptorki* adauget consensum Versionum. Et quò plures versiones conferemus, eò magis sententia nostra corroborabitur: hæ tamen allatæ sufficere possunt. Interpretes si consulamus hujus loci, & quidem Judæos, utique videbimus, quod uno omnes ore affirmant, vocem לו innuere Avem propriè dictam & quidem pingvissimam. Verba R. Salomonis Isaacidis ita sonant

ad vocem שלו Comment. in Exod. XVI. v. 13. מין עוף ושמן מאר *Species avis est* & *quidem valde pingvis*. His similia habet R. Salomo Ben Melech in יופי מכלל fol. כ, כ, & לא dicens: השלו מין עוף והוא שמן מאר ואומרים שהוא שקורין לו בלעז קוליה: hoc est שלו est *Species Avis illaq; pingvissima, & dicitur, quod illa ipsa sit, quam vocant in lingua Barbara* קוליה:

R. Isaacus Abarbanel in Comment. in Pentateuch Hanov. anno 1710. ab Henrico Jacobo van Batsuyfen, Theol. D. & Profess. Hanov. edit. mentem suam hisce exprimit verbis fol. רלג: *Species avium crescentium (qua nutriuntur) è regione maris*. Obiter hic notamus occasione hujus loci ex Abarbanele citati, Illustr. Ludolfum asserere Abarbeneli mentem, quam forte nunquam habuit quando Dissert. de Locustis p. 24 dicit, *Abarbanelem intellexisse aves magnas, speciem magni Galli campestris*, quæ imputatio ex vitiosa lectione vocis גדלים exorta est, quam Ludolfus cum inserto legit hoc modo גדולים cum tamen absque reperitur in ipso textu Rabbinico, & sic punctanda sit גדלים à singulari גדל crescens, ut ita non Aves magnas, sed *crescentes* intellexerit Abarbanel, sed hæc *ὡς ἐν πρῶτῳ*. Sic quoque in notis ad lib. Prec. Judaic. part. 2. p. 217. à princip. exponitur, quod שלו sit קיטורניס i. e. Coturnix, sicuti Interpretes h. l. communiter explicant, referente Joh. Frid. Breithaupto in nova Versione R. Salom. Jarchi Comment. in Pentateuch. Gothæ Anno 1710. edit. p. 523. Christianorum Interpretum & Commentatorum consensum si ostendere velimus, sanè pagina hæ non caperent omnia. Omnes enim in universum ante Ludolfum & plurimi etiam ad nostra tempora vocem שלו non per insecta quædam, in specie locustas, sed per aves pingvissimas, in specie Coturnices exprimunt. Sic Pel-

largus, Rungius, Fagius, Drufius, Lorinus, Cornel. à Lapide & reliqui in hunc locum. Sed ad hunc fatis probatum omnium Versionum & Interpretum consensum excipit Ludolfus & dicit: *Sit ita, Hebræos aliosque Interpretes & Theologos ad unum omnes* אשׁוּ *pro ave propriè dicta habere, quid tum postea?* nos utique in proœmio demonstravimus, *quod in specie dissentiant*, atque exinde firmiter conclusimus (1) Dissensum in specie, nec non discordiam in narrationis partibus, consensum in genere vanum & irritum reddere. (2) Deinde in expositione vocum dubiarum licere à communi omnium sententia recedere, idque exemplo Bezae, Deodati & Bocharti demonstravimus, qui quamvis Interpretes ad unum omnes Judæi ac Christiani Behemoth pro animali merè terrestri, Leviathan verò pro animali merè marino habuerunt, genuinam tamen horum aliorumque similium vocabulorum significationem ad nostra usque tempora ignorata, excogitare & proderè non dubitarunt. (3) Non autoritatibus, sed argumentis certandum, neque videndum quot, sed quid alii dicant: Ad hæc ponderandæ non numerandæ sunt Eruditorum opiniones. Denique (4) hoc ipsum est in quaestione: Omnes enim, qui אשׁוּ aves esse putarunt, ignorantia veræ significationis id fecisse, asserui. Quare vanum est, illos contra me citare, & si vel duplo plures allegari possint. Maximum hujus exceptionis *ἄνευ μέρους* in eo consistit, quod Ludolfus dicat: Interpretes non convenire in specie aliqua, certò constituenda, licet in genere conveniant: nam omnes (prout ipse toties totiesque agnoscit) qui à nobis adducti sunt, pro adstruendis avibus propriè sic dictis in specie coturnicibus, concordant in genere constituendo אשׁוּ esse propriè sic dictam avem, in expositione autem speciei putat illos quam maximè discrepare, dum alius eorum *Phasianos* alius *Coturnices*

ces, alius aliam avem intelligit p. 24. loc. cit. Satis specio-
 sæ videntur hæ exceptiones, at videntur solummodo! Nam dis-
 sensus commemoratus ab ipso Ludolfo merè fictitius est; dum
 (1) Jonathanis פסיוני per Phasianos interpretatur, cum tamen
 non ignotum potuit esse Viro Docto, à Talmudistis hæberi
 פסיוני pro specie quâdam coturnicum, prout supra locum ex
 Tractat. Joma citavimus: unde etiam Magnus Buxtorffius
 vocem hanc פסיוני per *Coturnicem* reddit, Lexic. Talmud.
 p. 1766. & pag. seqq. locum adducit ex Bresch. Rabba Sect. 70.
 כמה פסיוני אית לי quæ verba ita transtulit: Quot *Cotur-*
nices adhuc sunt mihi; & post pauca ait: *Nec Targum vide-*
tur inter פסיוני & שלו distingvere. (2) Abarbanelis עופות
 גרלים pro Gallo campestri habet, cum tamen huic Autori
 neque per somnium in mentem venerit, Avem Magnam as-
 ferere, cœu modo ostendimus Ludolfum non recte legisse. De-
 inde posito, at non concessio, detur etiam aliquis dissensus in-
 ter Autores de specie aliquâ certò definienda, tamen ex hoc
 dissensu non corrueat statim dissensus in genere, utpote cum
 tot dari possint instantiæ infringentes veritatem hujus asserti.
 Unicam saltem instar omnium nobis adducere liceat: v. gr.
 Philosophi inter se non congruunt, an Dialectica & Analyti-
 ca specie differant, annon? Ergò etiam propterea dicendum,
 quod in genere constituendo differant? Absit: nam omnes
 dicunt Dialecticam & Analyticam esse unam è scientiis Philo-
 sophicis, sicque dissensus in specie non aufert consensum in
 genere. Quando Autor ulterius dicit, non esse Viros do-
 ctos semper adstrictos ad communem sententiam, idque
 exemplis clarorum Virorum declarat, nos illud vel sponte
 largimur, hæc tamen additâ restrictione, non semper etiam
 Virum Doctum ac Cordatum decere temerè discedere absq;
 necessitate à communiter receptâ sententiâ, sed tum demùm,
 si

si rem benè ponderaverit & omnes exploraverit rationes, quæ
 verò limitatio opinionem de Locustis hîc suffert, prout id
 dilucidius ex inferius dicendis patebit, ubi certè non tam au-
 toritates quàm prolatas pro adstruenda sententia de Locustis
 rationes pensitabimus. Quarto denique quod excipit locò,
 in eò petit $\tau\epsilon\ \epsilon\upsilon\ \delta\epsilon\lambda\lambda\eta$: Nefas siquidem est dicere Judæos, Ma-
 gistros Ebr. Lingvæ veram hujus vocis ignorasse significa-
 tionem, quibus tamen licuit penetralia ipsius Lingvæ sanctæ
 penetrare. Dicendum hinc potius, Judæos non ignorasse,
 hujus vocis significationem, sed hâc in re non fuisse *ἀνεβεία*
 usos, quoniam nulla movebatur controversia de hoc voca-
 bulo. Insuper & hoc notandum, Judæos nec potuisse vo-
 cem שלו in gratiam melioris & facilioris intellectus, per aliud
 vocabulum reddere, quia in Lingvâ Hebræâ nulla alia vox
 est Coturnicem denotans, quàm hæc ipsa sola, unde ita eam
 descripserunt à pingvedine suâ, ut quilibet de Coturnicibus
 intelligere possit hanc vocem, cui modò hæc aves sunt notæ.
 Quod verò Judæi reverà sciverint vim vocis שלו, quâ Co-
 turnicem denotat, dudum ante Ludolfum de ipsis testatus
 est *Sebastianus Münsterus* in Dictionar. Hebraic, ubi de hâc
 voce ita scribit: שלו est avis quadam Coturnix, *Orthygometra*
Exod. XVI. Judæi dicunt Wachtel. Videmus etiam hoc ex
 Comment. eorum Germanico, *Zennoreenna* dicto, ubi ad hunc
 locum fol. כו ita DEum loquentem introducunt: אײך װײל
 אײך געבן דיא פיגל דיא װכטלן דר נאך מכת גוט ברענגן
 אײך װײנט אונ' מכת פליהן די װכטלן פון ים אונ' זיא ווארן
 אזו גאר פירל אז אײף אלי פיר זײטן פון ישראל זײן
 גועטן װכטלן אײך טאג רײז װײט פון אלי פיר זײטן:
 Ich will euch geben die Vögel/die Wachteln:& iterum: Dar-
 nach macht Gott bringen ein Wind/und macht fliehen die
 Wachteln vom Meer/ und sie warcu so gar viel/ als auff
 alle

alle vier Seiten von Tracl seyn gewesen Wachteln ein
Tagreise weit von alle vier Seiten.

§. IX.

Probata sic satis ac sufficienter nostra sententia, examinandam nobis erunt argumenta, quæ collecta à Ludolfo & aliis ejus sectatoribus contra nostram sententiam invenimus. Primum itaque argumentum petunt à dissensu omnium Interpretum, asserendò, ex hoc dissensu Interpretum satis firmiter posse colligi, veram significationem hujus vocis cum aliis plurimis in captivitate Babylonica interiisse, adeoque conjecturæ locum esse. Quid ad hoc argumentum non satis ut videtur solidum respondendum sit, jam potest lucido patere ex §. 6. nostræ Dissertat. ad quem nunc L. B. remittimus, ne cramben bis coctam apponamus, hic tantum addimus illud, quod præter necessitatem nulla sanè permittenda sit conjectura in rebus ad sacram Scripturam pertinentibus, etsi conjectura quoque concedenda esset, ita tamen debet esse comparata, ut contextui nihil addat, nihil demat, sed ei in omnibus sit conformis, ne propter levem aliquam conjecturam autoritas hujus divini libri vacillaret; imprimis tum omnis exspirat conjectura, quando non pro adstruenda vanâ quâdam conjectura, sed pro ingeneranda fide historicâ argumenta produci possunt, quod utique hoc in nostro loco obtinetur, dum ita luculenter à nobis demonstratum est, per שריון non locustas sed aves propriè sic dictas in specie Coturnices esse intelligendas.

§. X.

Objiciunt (II) id imprimis, quod tota de שריון historia ægerrimè ad Coturnices applicetur: neque enim tantam Coturnicum copiam univèrsam Orientem aluisse credibile, quanta & hic & Exod. XVI. 13. describitur, ast locustarum
fuisse

fuisse feracissimum, prolixè & irrefragabiliter quasi demonstravit celeberr. Ludolfus p. 5. his exemplis: Civitatem, *inquit*, in Africa (Locustis) desolatam Magister Varro est. Præcipuæ orbis terræ partes hoc malo infestantur. In Asia nullum ferè Regnum est, quod ab hac plagâ liberum maneat. In Imperio Sinarum frequentissimæ sunt, Provincia Xensi (lege Chenfi) eas sæpissime experitur (Neuhoff. in Descriptione Regn. Sinar. p. 377.) Tayoivanam & Formosam Oceani Eoi Insulas Anno 1054. plane desolarunt octo hominum millibus fame interemptis. Persia & Arabia, ubi plurimæ generantur, hoc insecto scatent (P. Angelus à S. Josepho in Gazophylacio suo Persico voce Locusta) Tavernierus cum Teredone (Balsera vulgò) esset, bis vidit portentosam locustarum vim, quæ imaginem crassæ nubis representarent, atque aërem prorsus obscurarent. Annuatim aliquoties illic transire, & plurimas dari quousque Sinus Persicus se extendat, idem testatur in Itinerario. In Armenia tempore Neronis (Tacitus Annal. XV. l. 4.) exorta vis locustarum ambederat quicquid herbidum & frondosum, ut equiti pabulum deficeret. In Syria & Parthia notissimæ sunt. In Palaestina inter minas & pœnas divinas à Prophetis sæpius commemorantur Deut. XXVIII. v. 38. Joel. I. v. 4. H. I. Nos, ut adhuc major excreseat numerus, referimus id quoq; quod in Patria nostra A. 1711. in vico quòdam Parochiali *Retu* dicto non procul ab urbe Rastenburgensi multis cernere licuit, nempe magna copia & innumera cohors locustarum instar nubium densissimarum ac spississimarum visa fuit, prout id omnibus adhuc in recentissima versatur memoria. Huic relationi etiam *ὅς ἐν παρόδῳ* addimus, in locustas memoratas quadrare ferè omnia verba *Arabie* cujusdam *Anonymi* apud *Damirem*, quæ apud *Samuel. Bochartum* in Hierozoic. part. posterior. lib.

VI. cap. V. in latinum sermonem sic conversa legimus: *In locusta quamlibet infirma natura est decem magnorum animalium, (1) facies equi, (2) oculi Elephantis, (3) collum tauri, (4) cornua cervi, (5) pectus leonis, (6) venter Scorpionis, (7) ala Aquilæ, (8) femora Cameli, (9) Struthionis pedes, (10) cauda serpentis.* Nam hæc omnia, si solam caudam serpentis demas, locustis à nobis visis per analogiam quandam accommodari posse, omnibus ad oculum patuit, quibus occasio data est hæc sordida videre insecta. Magna itaque ac horrenda locustarum copia satis probata videtur, sed quid exinde? Propterea enim illorum sententia nostræ præferenda, quoniam Locustæ numerò superant propriè sic dictas aves, in specie Coturnices? Non sequitur: Nam hæc ratione pro divite, cujus mentio fit Luc. XVIII. concipiendus est pauper, quoniam major est numerus pauperum, quàm divitum, quæ ratio? Imò eò modò omnia sacræ Scripturæ dicta pervertere possim. Deinde (2) libenter scire vellem, unde *demonstrativè* ipsis innotuerit, plures invenire Locustas ac Coturnices? Audiant quæso illud quod de copia Coturnicum differit Plinius, dicens: *Advolant & hæc (Coturnices) simili modo non sine periculo navigantium, cum appropinquavèrè terris. Quippe velis sepe insidunt, & hoc semper noctu, merguntq; navigia.* Blondus quidem hic, ubi ille, velis insidunt, *incidunt*, legit & hanc lectionem Solinus, Plinii expilator & Simia aliàs dictus, quoque secutus est, & eandem ex Opiano Cap. 15, Polyhistor, asseri putat Bellonius tamen Lib. V. Cap. 20. de Avibus, priorè lectionem approbare videtur, scribens, se in itinere observasse, cum ex Insulâ Rhodo Alexandriam peteret, coturnices, quæ magno numero fessæ quiescendi gratia malis & velis insiderent. Non commemorabo hîc, quod Polus in Num XI. de ingenti copia Coturnicum scribit: Licet nobis hæc avis rarior, in-

calidis regionibus frequentissima est ut in Græcia. Aristophanes Comicus apud Athenæum lib. 14. Pavonum, *inquit*, solum par unum quispiam adduxerat, rem illò ævò raram, nunc verò plures sunt quàm Coturnices. Ex Flavio Blondo narrat Gesnerus in Antiatum littore (in Italiâ) primò vere, inter quinque millia passuum nonnunquam in dies capi centies millies Coturnicum, & hoc aucupium ferè per mensem durare ac continuari. De eodem Varro: *Turtures*, *inquit*, & *Coturnices immmani numero*. Aloysius Mundela in Epistolis, circa Pisaurum, *inquit*, *ingens Coturnicum copia adventare consuevit*. Hinc à Coturnicum copiâ Orthygia dictus est Delus & Ephesus, & univèrsa Lybia, teste Stephano. Maximâ verò omnium abundavit copia Ægyptus; Nam adeò tam multæ in Ægypto detinebantur Chenæ (Coturnicis species in Ægypto peculiaris ait Athæneus) ut cum incolæ omnes abstumere non potuerunt, postmodum sale condirent, prout hujus rei testis est Athæneus lib. 9. cap. 11. de Coturnicibus in fine, & Hipparchus ibidem in Iliade Ægyptia & Anthilogia Lib. 2. Cap. 47. Quod vel maximè mirandum venit in Regione tam populosa, ut Theocritus in ea censeat oppidorum plus triginta millia Idyl. 17. 82. Et Josephus hominum septuagintotos & quinquaginta myriades absque incolis Alexandriae Bell. Judaic. Lib. 2. 16. Imò ipse Ludolfus fatetur, *Coturnicem esse avem gregalem, catervatim advolantem*. Dissertat. de Locustis p. 57. Non opus proinde erit (3) discedere à pervulgata opinione, utpote cum non minor, si non major sit Coturnicum quàm ipsarum Locustarum numerus, si imprimis Patroni Locustarum per locustas speciatim edulium intelligant, & major quantitas, quæ inest Coturnicibus, compensanda esset valore & pondere locustarum, quæ decem vel

viginti, imò triginta simul sumptæ vix pōdere suo unam Coturnicem exæquabunt,

§. XI.

Urgent (III) quod Coturnices non sine maximo miraculo *trans mare* tam longo tractu *volare* potuissent, quippe quæ teste Plinio Lib. X. Cap. 23. Sect. 33. magis terrestres quam sublimes sunt. Dubium hocce speciosum nullius ponderis esse, constat (1) exinde, quoniam maxime hoc in passu detorquetur textus authenticus, utpote in quo habetur particula פָּר , de quâ autem particula in propatulo est, illam nunquam denotare *trans*, sed communiter exponi per præpositionem à vel *ab*, item *de*, *ex*, & quæ sunt his similes. Hinc *Christian. Noldius*, diligentissimus concordantiarum Particularum Scriptor p. 618 & seqq. plus quam viginti פָּר diversas in Scriptura acceptiones retulit, & exemplis illustravit, sed nullum inter eas *trans* habetur. Cui etiam correspondet *Joh. Michaëlis*, S. S. Th. D. Vir his in rebus felicissimus, in Lexico suo Particularum Lipf. & Francof. 1689. excus. Conf. Excell. D. *Joh. Andr. Danzii* Interpr. Ebræo-Chald. §. 174. Prout etiam non aliter hunc locum variæ Versiones expresserunt, quas longa serie citatas quilibet reperiet apud Clarissimum Ludolfum I cit. p. 41. quibus insuper addenda esse videtur Versio Polonica, quæ vocabulum פָּר etiam non aliter ac aliæ Versiones expressit, reddens hunc locum hunc in modum: *Zatym wyszedł wiatr od Páná à porwawszy Przepiórki OD Morza* &c. Neque est, quod excipiant, dicendo: Ut ut inficiari non possimus, particulam פָּר nusquam *trans* significare, tamen nihil obstat, quò minus res *trans mare* venientes פָּר à mari venire dicamus: sic v. g. aromata aliqua exotica *vom Meer oder aus der See* venire dicuntur, quamvis *trans mare* (oder über die See) deferantur. Illustrant insuper

per

per rem istam testimonio Livii, qui Lib. 24 Cap. 10, scribit: *Locustarum tanta nubes à mari ventò repente in Apuliam illata sunt, id est, trans mare ex Africa in Apuliam volarunt.* Egregia sanè collectio! dissolutæ scopæ! Quem enim non latet? alium atq; alium loquendi esse modum ipsis Hebræis ac ipsis Latinis, Latium quoque nonnunquam pro particula *trans* usurpare præpositionem *à* vel *ab*, ut & Germanicam linguam eas res, quæ trans mare adferuntur, communiter efferre per idiotismum suum, *vom Meer*/constat. At Hebræos particulam $\overline{\text{מ}}$ per *trans* exponere nondum innotuit; quanquam & illud hic pensitandum sit, quod quando Latini pro *trans* ponant *à* vel *ab*, sicut & Germani pro *über das Meer* dicant *von dem Meer*/illos tùm his vocabulis non *ἀναβῆς* uti, sed observare communem loquendi modum. Communis autem loquendi modus nec minimum textui authentico præscribere potest. (2) Licet etiam concederemus, $\overline{\text{מ}}$ significare hîc *trans*, quid exinde? Nam quid si (a) dicamus, vocem $\overline{\text{מ}}$ hoc loco non præcisè denotare Mare, sed potiùs *Occidentem*, tùm sanè totum de voce $\overline{\text{מ}}$ corrueret dubium. Occurrit hæc vox $\overline{\text{מ}}$ in hoc significatu Deut. XXXIII. v. 23. Mens hæc etiam est *Joh. Drusii*, dicentis: *Non è mari eduxit Coturnices, sed à plaga illa, ubierat mare, hoc est, ab Occidente, unde sæpè mare sumitur pro Occidente.* Comment. ad Loc. difficilior. Pentat. p. 406. Insuper (β) nonne Aristoteles & alii asserunt, Coturnices esse migratorias aves, quæ certè migrandò ad Oras & Loca versùs Orientem calidiora, sæpè per magna debent transire maria; hinc quoque Plinius non solum testatur de Coturnicibus, quòd sint magis aves terrestres (quando non sunt in migratione) quàm sublimes; verùm etiam asserit, quod Coturnices non sine periculo navigantium maria transvolent, loco in §. præced. citat. Si igitur hoc extra

D 3

omnem

omnem controversiæ aleam positum est, nihil impedit, quominus, si vellemus, & hoc loco Coturnices trans mare venisse, asserere tutò possemus.

§. XII.

(IV.) Promunt argumentum ex illâ textus circumstantiâ, ubi dicitur: *כאמתיים על פני הארץ* *Circiter duos cubitos super faciem terræ.* Ex hac jam circumstantia colligunt, Coturnices non posse hoc loco intelligi, quoniam impossibile ipsis videtur, Coturnices tam ineffabili multitudine à vento potuisse cogi, nedum coacervari ita, ut ferè duos cubitos solum in tanto terræ spatio opplerent, & quod creditu adhuc difficilius est, inferiores per triginta sex horas vivæ manserint? Unicum in hoc specioso argumento expendendum occurrit? Quomodo nempe intelligendum sit *כאמתיים על פני הארץ* duos cubitos in superficie terræ? Anne, quod ista distantia à terra volarint solum antequam caderent? an, verò, quod cumulata in tanta altitudine jacuerint. A variis variè hæc circumstantia textus explicatur: Absurda videtur sententia, quam legimus in התורה על שבתו כהן fol. קכ"ו vocem scilicet *כאמתיים* de ipsa ave esse intelligendam, ita ut avis duorum cubitorum fuerit, quorum inferior cubitus carnem jumentorum, superior verò delicatesiore continuerit; sententia sanè Judaico cerebro non indigna! Melius hinc *Jonathan* cum aliis Hebræorum Magistris statuit, non fuisse cumulas in terra duorum cubitorum, sed tantum in aere duorum cubitorum altitudine super terram volasse. Sic enim פורחיו בגובהו עד כאמתיים ad vocem *כאמתיים* habet *שהן כנגד לבו של אדם כרו שלא יהא מורח באסיפתן לא להגביה ולגת לשחור:* Quæ verba ex Illustris *Joh. Frederici Breithaupti*, Sacr. Cæsar. Majest. & Duc. Saxon. Confiliar. Versione non ita pridem edita ita se habent p. 1112. *Vo. lita-*

litabant (Coturnices) in altitudine, donec venirent è regione pe-
 etoris hominis, ita ut is nullo labore illas posset colligere non supe-
 rius nec inferius. Ad quæ verba modò citat. Breithaupt. in
 notis suis super hanc versionem eruditus ita commentatur:
 Scilicet quàm est pedus humanum, ita ut aliquis Coturnices
 facili negotio posset manu comprehendere, & not. in שפתי
 חכמי h. l. ubi exponitur, quod Coturnices non volitaverint
 superne: כספרי אמרו רבותינו ז"ל i. e. plus quam satis erat. Quibus planè
 consona habet R. Jac. Abendana in Spicileg. ad מכלל יופי fol.
 לא ad vocem כמתים scribens: כספרי אמרו רבותינו ז"ל
 שלא היו פורחים על הארץ יותר גבוה משתי אמות
 כרי שיחא נקל לאסוף אותם ונכון הויה: *In Siphre*
dicunt Doctores nostri p. m. quod non volaverint altius duobus
cubitibus super terram, ita ut leve fuerit colligere eas, & hoc est cer-
zum. Similiter Zennorena ad vocem כמתים commentatur:
 ויה ווארן פליהן גלייך קינן דען הערצן פון מענשן אז זיך דער
 מענש ניש זיר זאל בוקן נאך זיין אונז זאל זיך אך ניש
 הוך מוזן דערהיבן צו נעמן זיין אונז דער הזקני שרייבט
 ווארן זיא דיק פליהן פון דער ערדן צווייא אילן הוך איינר
 : Sie waren fliehen gleich gegen den
 Herzen von Menschen/ daß sich der Mensch nit sehr soll
 hücken nach sie/ und soll sich auch nit hoch müssen derbe-
 ben zu nehmen sie/ und der Hiskuni schreibet/ waren sie
 dick fliehen von der Erden zwey Ellen hoch einer über den
 andern. Huc quoque facit testimonium Versionis Vulgatæ
 expresse de volatu verba hæc capientis, ut supra apposita
 verba docent: Necnon *Versionis Germanicæ per antiqua*, quæ
 in Bibliotheca Regia asservatur, ubi verba nostra ita transla-
 ta leguntur: Wann ein Wind ging aus von dem Herren/
 er begraiß die Krameths. Vogel anderhalb des Meeres/
 er

er bracht sy / und ließ sy an dem Wege bey den Herbergen / als vil als sy mochten verzehren an einem Tage von einem jeglichen --- und sy flugen auf der Erden in den Lufft in der Höch zweyer Elln. Neque ablutere videtur Polonica Versio, sic locum vertens: *U jakoby na dwatokcie byly nad (non odziemi) ziemia.* Hæc Interpretatio etiam arridet ipsi Philoni hunc in modum scribenti lib. I. in vitâ Mo-
 sis p. m. 491. *Ταῖς γὰρ ἑσπέραις ὀρτυγομετρῶν νέφθ συνεχές ἐστὶ θαλάττης ὀπφειδύμρον πᾶν τὸ αὐτόπεδον ἐπισκίαζε τὰς κτήσεις πρὸς γενοτάτθ ποιέμδρον ἔυθηρον,* quem locum Sigismundus Gelenius sic Latio donavit: *Vespertinis enim horis Coturnicum nubes advolabat à mari tota castra inumbrans terra tam propinqua, ut facile præberet aucupium.* Hæc autem Interpretatio non arridet Locustarum defensoribus (1) ex eo fundamento, quoniam in textu nihil habetur de volatu, quin (2) aliud potius vox ויטש innuit, utpote quæ significat, quod in terram dejectæ sint, ut pluvia in terram cadere solet. Ad hæc duo fundamenta respondemus (I) illos committere fallaciam compositionis, affluendo verbum ויטש locutioni על פני כמתיים הווארר, quam tamen ab ipso verbo ויטש segregat accentus majoris distinctionis Atnachus, sicque hoc ipso non obscurè videtur subintelligendum esse vocabulum quoddam, in specie volare: Sic enim perantiqua Versio Arabica verba hæc de Volatu intellexit h. m.

آر تفاعلا من الارض مثل ذر الحنظل

Elevabantur (Coturnices) à terra, quasi duobus cubitis. Quamvis verò (II) concedamus ex superfluo, voces illas coherere, interim ad (1) respondemus: Neque quicquam in textu haberi, quod jacuerint super terram שליים duobus cubitis, neq;
 ver-

Versiones antiquas id innuere, quæ potius, uti vidimus, pro volatu militant. Ad (2) respondetur, vox ישׁו volatui non obstat, ista enim est à rad. שׁו , quæ habet significationem *expandendi* juxta *Buxtorff. Lex. p. 466.* Expandunt verò aves sese per ipsum volatum. Insuper, præter hæc, hocce illorum dubium possemus expedire arripiendo eorum sententiam, qui putant (1) *non præcise* istos duos cubitos esse sumendos, cum כ similitudinis mensuram præter propter indicet: Pariter (2) nec opus esse, ut istam altitudinem per tota castra circum quaque supponamus, cum ad sensum satis sit, si vel alicubi aut hinc inde plerisque in locis ita jacuerint, utpote cum aliàs edibus Israëlitarum contrita fuissent. Jam ulterius videamus, quid etiam ad hanc reponant interpretationem: Dicunt (1) recte monetur præfixum כ *præter propter* significare, sed eò usque absoluta textûs verba limitare על-פני הדרך atque inferere voculas *alicubi, vel hinc inde, vel plerisque in locis*, id licitum esse negant. Et quomodo, dicunt ulterius (2) obsecro, Psaltes de pluvia, pulvere & arena maris congruit? Illane alicubi hinc inde ac plerisque tantum in locis in terram demittitur? Nonne ita cadit & jacet, ut omne solum æqualiter ferè impleat? Id tamen ob particulam כ præter propter, largiri possumus (debemus) $\text{שׁו$ non præcise æqualem ubique servasse altitudinem, modò hanc non nimium diminuas. Limatiori autem B. L. judicio hæc apponimus in responsione. Negamus (1) textum hunc non posse sic interpretari, utpote cum hâc ratione Analogia fidei non evertatur; imò (2) proprio quod ajunt gladiò se jugulant, vertendo verbum ישׁו per *diffundere*: Diffundere siquidem non solum usurpatur de iis rebus, quæ totam opplent terram, sed quæ etiam sparsim hinc inde diffunduntur, & quasi disseminantur. Neq; huic interpretationi obstat Psaltes (prout ipsi existimant) Ps.

LXXVIII. 26. 27. &c. Tropicus enim hic est locus, tropus autem non est ultra tertium extendendus, nam aliàs & dicendum esset, quod numerus שליים עשׂו tantus fuerit, quantus est arenæ maris, quod est absurdum. Itaq; nihil aliud tua phrasi voluit Psaltes indicare, quàm quod ad sufficientiam datæ sint Coturnices, & sic debent concedere quoque, non totam castrametationem operatam fuisse שליים, licet urgeant, quod dicatur in textu על-פני הארץ in superficie terræ, quæ propositio ipsis videtur interpretanda universaliter, quoniam propositio hæc est indefinita, quæ juxta regulam interpretandi Theologis & Jure-Consultis fati notam universaliter est accipienda. Agnoscimus esse indefinitam propositionem, sed negamus eam universaliter esse interpretandam, quoniam dicere non possunt, in universo terrarum orbe, & sic non in solâ Israelitarum castrametatione, שליים ad duos cubitos jacuisse; nam alias non solum contradiceretur Scripturæ, sed etiam magna & stupenda emergeret copia, quam nec suis ingentibus locustis supplere possent; quare utique particulariter intelligenda propositio hæc, ita ut dici possit, hinc inde plerisque in locis circa castrametationem Israelitarum eâ altitudine prostratas fuisse. His pensitatis facile quoque quilibet videbit, conclusionem non satis esse firmam, quando Locustarum patroni dicunt: Si per שליים Coturnices sunt intelligendæ, sequitur, quod plurimæ Coturnicum, nempe inferiores, suffocatae sint.

§. XIII.

Properante quasi calamô aggredimur in hoc cæ §. *Dubium V.* quod formant ex mensuratione שליים עשׂו; Nam in loco nostro dicitur, quod mensuratae fuerint שליים, sic ut qui parum accepit, עשרה חמרים collegerit. Jam dicunt ulterius: Coturnices quidem numerari, non verò mensurari, constat;

stat; deinde si de Coturnicibus intelligatur locus, immanis hæc esset summa & omnem fidem superans; non in unum mensem, quem DEus promiserat, sed in plurimos menses, imò unum & alterum annum suffectura: Corus enim continet centum Gomor, quorum unum Manna impletum diurna cibi mensura fuit. Ad discutiendum omnium ferè stringentissimum dubium juvabit quæstionem sequentem proponere, eandemque enodare: Qualis mensura fuerit חמרי utrum חמר hic *Corum*, mensuræ genus, an verò *aceruum* in genere notet? Et quomodo שלוים fuerint mensurata? De eâ quæstione eruditè quidem, sed minus sufficienter sæpè commemoratus Ludolfus p. 51. l. cit. differit; cujus disquisitioni hinc libet unius ac alterius Viri eruditi de חמרי hæc decem, annexere iudicium. Mira & certè jucunda habet hunc in locum *Cornel. à Lapide*, quæ in delectationem L. B. hùc transcribere non piget: *Corus, inquit, continebat 30. modios sive mensuras alias communes, 10. ergò cori faciebant 300. modios Romanos: quisq; enim collegit tantum quantum ad mensem victui sufficeret: Jam si quisq; tantum collegerit, cogita, quàm immensa fuerit coturnicum copia & multitudo! Nam colligentes eas erant facile duo. milliones hominum. Demus, in quolibet modio fuisse tantùm viginti coturnices, perinde ac modius viginti continet libras frumenti: hinc sequeretur, quod quisq; colligens 300. modios collegerit sex millia coturnicum, ac consequenter, quod unus hominum millio collegerit sex millia millionum, duo verò milliones hominum collegerint duodecim millia millionum coturnicum. Concludit tandem, DEum dedisse Iræëlitis, ut non solùm gulæ & fami, sed etiam oculis avaritiæque satisfecerit, quod probat iterum ulterius, dicendo: *Divide enim sex millia coturnicum per dies, tribuendo cuique diei 25. coturnices, (quis enim plures voret uno die) invenies sex millia coturni-**

cum suffecisse cuique ad victum per 240. dies, qui faciunt menses octo. Si enim uno mense absumpserent sex millia, quolibet die vorare debuisset quisque ducentas coturnices, quod ne Polymphæus vorare potuisset. Lorinus hoc in loco paulisper indulget ingenio suo, dum præter communem computandi modum videtur adstruere חמור tantam oneris magnitudinem esse, quæ sufficere possit oneri asino imponendo, in alium locum deportandi gratia: idque ex eo fundamento probare conatur, quoniam inter vocabulum חמור & חומר aliqua intercedit cognatio, hæcque exinde, quia asinus bajulat acervum seu cumulum frumenti, qui dicitur חמור, quasi dicas, onus asinarium seu asini. Adducit quoque hunc in finem elegantem Paranomastiam, quæ exstat in Lib. Judic. Cap. XV. v. 16. de Samson חבליו החמור חמור חמרתים הכיתי אלף : איש Ubi putat denotari acervos Philistæorum asini mandibulæ cæforum. Si hæc allusio aliquid valeret, certè nec maxima illa copia locustarum, quam adversa pars affert pro adstruenda sua sententia, sufficeret ad implendam hanc mensuram; imprimis multum deerit, si species locustarum Judæis in esum concessa intelligeretur, ad quam examinandam non triginta sex horæ, sed fortè triginta sex dies requirerentur, utpote cum locustæ propter parvam corporis quantitatem, vel plumis ipsis leviores ferè censendæ: & hinc vix unum onus asini ab ipsis Israelitis, multo minus decem חמורים potuissent congeri. Sunt quoque, qui ad evitandam hanc nimietatem putant, שלויים quidem verè mensuratas fuisse, at non omnes, nec ab omnibus, sed ab aliquibus, qui nempe existimarunt, se minus habere aliis, quorū sententiæ etiam facile subscriberemus, nisi ea jam displosa esset à Celebrissimo Bocharto & Ludolfo loc. cit Unica adhuc superest sententiæ, quam etiam nostram facimus, scil. antea citati Bocharti, & qui cum

eum secutus est, Clariss. Philologus Poli; hi igitur existimant vel (1) verba, *qui collegerant*, referenda esse ad familiarum capita, atque sic nimium quantum copia minueretur, vel (2) vocabulum חמר denotare, non Corum mensuræ genus, sed *acervum* in genere, & decem acervos hic significare magnam quidem multitudinem, sed non excedentem ipsam fidem, superfluum ad alendos Israelitas, at naturaliter dabilem: Phrasim enim scripturæ vulgarissima est, numerum certum ponere pro incerto; imprimis id evenit in vocabulo עשרה decem, quod sæpe ponitur pro incerto aliquo numero, v. g. Genes. XXXI. 7. Num. XIV. 22. & alibi passim: conf. *B Salom. Glasfi Philol. Sacr. Lib V. seu Rhetoric. Sacr. Tract. 1. cap. XV.* Jam si diceremus, & hinc vocabulum עשרה pro incerto, ipsi DEO scilicet sufficienti numero sumi, non impingeremus, cum certè fatendum sit, quod unus suffecisset חמר, DEO volente. Tandem rectè etiam vocem חמרים per *acervos* reddimus, quia videmus, non tantum Chaldaum, Arabem, Tremellium, & alios ita reddidisse, sed ipsorum Judæorum hanc mentem fuisse, quam expresserunt in *Zennorena*, hoc modo: רער מינשט אונטער ישראל דער דנה קאנט נישט באלד קלויבן: Der minst unter Israel der da kont nit bald klaubn / der war ein samlen zehh Hauffen. Vocem quoque חמרים Autor Versionis Gallicæ per *acervos* reddidit h. m.: *Celuy qui en avoit le moins en avoit rassemble dix monceaux.* Loquitur etiam pro nobis Scriptura Sacra, quæ non solum in aliis locis, v. g. Exod. VIII. 14. Judic. XV. 16. Habac. III. 15. sic eorum explicat, sed etiam hinc intendere illum haud dubiè colligitur, quoniam mentura ista Israelitis fugitivis forte non fuit ad manus, ut eâ potuerint שלוים accuratè demetiri, cum insuper rectè eorum

